

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Disputatio de clavibus**

**Beurlin, Jakob**

**Tubingae, 1558**

Disputatio de clavibus

[urn:nbn:de:bsz:31-128893](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128893)

## DISPUTATIO DE CLAVIBVS.

### PROPOSITIO I.

**C**V M sine Clauibus Regni Cœlorum, nemini mortalium ingressus in Regnum Cœlorum pateat, uarijs autem & multiplicibus quorundã corruptelis & erroribus, doctrina de Clauibus deprauata antehac obrutaq; iacuerit. Atq; etiamnum hodie non desint, qui perniciosissimos Clauium abusus Sophisticis argutjs, summaq; contentione & seuitia propugnent, ut difficile sit rudioribus, & minus in scriptura sacra uersatis & exercitatis, ueras Regni Cœlorum Clauēs, & legitimum ipsarum usum agnoscere. Quare operæ pretium, & pijs omnibus non ingratum nos facturos sperabamus, si de Clauibus & earum usu ueritatis inuestigandæ monstrandæq; causa, disputationem de Clauium potestate institueremus.

#### I I.

Quod in repurganda ab erroribus uera quorumlibet articulorum fidei doctrina fieri consuevit, ut infinita humanorum scriptorum multitudinẽ, & opinionum cum uarietate, tum peruersitate relicta, ad regulam & amulsiuam diuini uerbi reuocentur, idem in Clauium uera & constanti doctrina tradenda faciendum, eamq; ex purissimis diuini uerbi fontibus hauriendã esse censemus. Vera autem & sincera de Clauibus doctrina, in uera & genuina eorum scripturæ locorum intelligentia consistit, in quibus potestatis Clauium prima mentio & institutio facta esse legitur

#### I I I.

Quemadmodum igitur gladij appellatione, non solum instrumentum, sed & bonos defendendi, malos uero puniendi politicam magistratus potestatem siue officium scriptura designat, ita clauium nomine instrumentum simul atq; administrationem œconomicam in Ecclesia significare, hisq; diuisis utriusq; officij meraphoricis appellationibus, procuracionem ministrorum Ecclesiæ, a magistratus politici administratione discernere uoluit.

#### I I I I.

Et in hac quidem significatione Clauis uocabulum in scripturis sanctis, de ipsis aliquando scripturis, & eas enarrandi officio usurpatur. Vt Lucæ 11. Vç uobis Scribis & Legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, nec ipsi introitis, nec alios finitis introire. Et Mach. 23. Vç autem uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia claudicis regnũ cœlorum ante homines, uos enim non intratis, nec aduenientes finitis intrare. Est enim scriptura organon Spiritus sancti, quo nostræ ignorantie & errorum compedibus solutis atq; sublatis, in Dei & nostri, rerumq; ad Dei nominis gloriam, & nostram salutem pertinentiũ introducimur, sine quorum scientia nemo in Regnum Cœlorum ingreditur.

Altera

ZV



## V.

Altera uero præcipuarum scripturæ partium Lex, etsi nusquam clauis nominatim fuerit uocata, tamen appellationem clauis ei tribuere licet, si quidem clauis officium ei conuenit, non solum ea ratione, quod ignorantia peccati, quod D. Paulus sine lege se nesciuisse fatetur, nos soluat, uerum etiam ignorantia peccati solutos, condemnationis sententia liget atq; constringat. Est enim diuinæ potentæ organon ad condemnationem omni transgressori. Vnde peccata & pœnas legales, uincula, ac peccatores legis maledictioni obnoxios, uinctos scriptura non raro uocat.

## VI.

At locū Mathei 16. Tibi dabo clauis regni cœlorum, quicquid ligaueris super terram, erit ligatum in cœlo, & quicquid solueris, erit solutum in cœlo, neq; in genere de tota Scriptura, neq; in specie de Lege diuina, sed de altera scripturæ parte, de Euangelio inquam peculiariter & propriè accipiendum esse arbitramur. Quo sanè in loco, Christus Saluator noster de se fidem & confessionem Apostolorum approbaturus, eam beatitudinis & æternæ salutis effectu siue fructu, ab aliorum quorumlibet hominum, quantumlibet honorifica de Christo opinione discernit. Cuius de discriminis & approbationis tres rationes subiungit, quarum ordine tertia, est promissio clauium regni cœlorum. Has enim ad Euangelium, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, propriè pertinere nemo negabit, qui Apostolorum de Christo fidem æditamq; confessionem, quæ præcesserat, euangelicam esse, quod necesse est, concesserit.

## VII.

Hæc autem uerba christi Domini de clauibus Euangelicis, quæ & quos sint numero, à quo, quibus & quibus de rebus tradantur, quis & quàm latusearum sit usus, quid, & in quibus, & quàm terò efficiant, ne, quod Papistæ & Anabaptistæ faciunt, ad res à regno Dei & euangelio Christi alienissimas detorqueamus, Christum ipsum optimum suorum uerborum interpretem rectissime & tutissime sequemur. Ibi autem Christum semet ipsum interpretatum esse iudicamus, ubi uerba promissionis clauium, Mathei decimo octauo, ante mortem suam repetijt, & resuscitatus à mortuis, clauis quas promiserat Apostolis, Ioannis 20. & Marci 16. exhibuit.

## VIII.

Matth. n. 18. Excommunicationis specialis potestatis clauium actus celebrandi formam Christus præscribens, generalis clauium regni cœlorum promissionis, ex 26. cap. Matth. ad omnes Apostolos accommodata repetitione, non obscure significat, id quod torius etià orationis cõtextus Mar. 16. euincit, non soli Petro, sed communiter omnibus Apostolis, & in persona Apostolorum ecclesiæ,

A ij clauis



Claues esse promissas. Cum enim dixisset, Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi uelut Ethnicus & Publicanus, Ecclesiae auctoritatem & potestatem excommunicandi asserturus, simul omnes Apostolos alloquitur, dicens. Amen dico uobis, quaecumque ligaueritis super terram, erunt ligata in caelo, & quaecumque solueritis in terra, erunt soluta in caelo,

### IX.

Licet autem Christus Dominus Clauium, in persona Apostolorum Ecclesiae sponsae sibi dilectissimae, in terris clauis regni caelestis appenderit, ipsamque in terris dominam Clauium constituerit: earum tamen usum priuatum omnibus & singulis Christianis permisit. At publicam Clauium administrationem, soli habere ac iure exercere iudicandi sunt, qui apti & idonei ad praedicandum Euangelium, a Christo & Ecclesia legitime uocantur adhibenturque: quam quidem ad rem, nihil consecratio sacrificulorum, & inordinatus ordo sacerdotum Missificorum confert, cum quo tamen potestatem clauium necessario colligatam esse iactitant.

### X.

Vtrumque autem locum, qui & 16. & 18. Matth. habetur, multo dilucidius Christus explicuit Ioannis 20. & Marci 16. Cap. ubi postquam resuscitatus a mortuis, clauis quas promiserat, Apostolis etiam praestitit. Nam eius loco, quod Matth. 16. dixerat, Dabo tibi clauis regni caelorum: In Ioanne ait, Accipite Spiritum S. Et in Marco, Ite in uniuersum mundum, & praedicate Euangelium omni creaturae. Ex quo planissimum fit, Clauis Regni Caelorum, isdem esse, Math. 16. promissas, quibus postea sunt traditae. Et Clauis Regni Caelorum, non esse licentiam occupandi aut transferendi regna terrena, nec esse cuiusuis personae, nec totius quidem Ecclesiae liberam potestatem, quidlibet tentandi, instituendi aut immutandi, sed clauis esse alligatas ad Ministerium Spiritus, quod est praedicationis Euangelij, ac Sacramentorum, caeterarumque rerum, quae cum Euangelio sunt coniunctae, administratio.

### XI.

Sic enim potestas Clauium cum Euangelio Christi est copulata, ut alterutrum ab altero separari nullo modo queat, neque enim exerceri potestas clauium, sine praedicatione Euangelij, nec praedicari Euangelium potest, quin simul & semel exerceatur potestas Clauium. Ex quo manifestus error eorum deprehenditur, qui praedicationem Euangelij, a Clauium potestate longe lateque distare uociferantur. Itaque res coniunctissimas distrahendo, non tantum quid Euangelium aut Clauium potestas sit, non intelligunt, sed et utrumque simul amittunt, quorum alterutrum sine altero retineri, & ut dictum est, exerceri non posse, Christi & Apostolorum conciones abunde astantur.

Quanquam



## XII.

Quoniam autem, sicut Christus unus est & indiuisus, ita unum est Euangelium, & unus Spiritus sanctus, qui de Christo per Euangelium testimonium perhibet, unum tamen & idem Euangelium absoluendo & alligando, quoniam duplicis clauis officium & effectum in hominibus fide & incredulitate differentibus, præstare cognoscitur, idcirco non in singulari numero clauem, sed in plurali clauis Regni cœlorum Christus appellauit, quarum altera, clauis absolutionis, siue absolutio, altera uero, alligationis siue alligatio secundum Christi uerba recte dicitur. Quo nomine Euangelium à lege etiam distinguitur, quæ omnes ligare solummodo, neminem autem absoluere potest. Euangelium uero clauis habet absoluendi & ligandi, nec altera earum clauis scientiæ, altera potestatis est dicenda, cum ad utranque tam absolutionis, quam alligationis clauem exercendam, scientiam & potestatem simul concurrere oporteat.

## XIII.

Ne autem alicui absoluendi & ligandi uerborum ambiguitas imponeret, quod ih̄s accidit, qui illud de autoritate ferendi leges ecclesiasticas, ad salutem populorum, ut ipsi loquuntur: hoc autem de potestate abrogandi leges & dispensandi interpretantur, quapropter ea Christus alijs luculentioribus ac significantioribus uerbis exposuit, ubi in ipsorum locum Io. 20. uerba remittendi & retinendi peccata, Marci 16. uerba promittendi salutem & denunciandi condemnationem substituit, quæ de legum rogatione uel abrogatione, uel dispensationibus nequaquam intelligi posse satis apparet. Sed nec ille error est obscurus, quo potestas remittendi & retinendi peccata, proprie & re uera in prædicatione Euangelij collocanda esse negatur, cum autoritas prædicandi Euangelium non sit aliud, quam potestas remittendi & retinendi peccata.

## XIIII.

Has regni cœlorum soluendi & ligandi clauis, solis & omnibus hominibus sine ulla exceptione offerendas esse indicio fuerint, uniuersales uoculæ uerbis Christi ubique diligentissimè appositæ. Io. 20. Quorūcūq; ait, remiseritis peccata, quorūcūq; retinueritis, &c. Marci 16. Ite in uniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: Qui uero non crediderit, condemnabitur. Quæ eadem uoculæ uniuersales, utriusque & absolutionis & alligationis clauis, & priuatum & publicum usum continent, quandoquidem priuatim singulis, & publice omnibus Euangelium annunciari teneamur. Vtraque autem, & absolutio, & alligatio est uox & prædicatio Euangelij.

## XV.

Sicut autem potestas clauium communiter ad omnes, & priuatim ad singulos homines, ita ad singula & ad omnia hominum peccata, quocumque nos



in fine censeantur, extenditur. Nullum est enim peccatum hominum, quod clauium absolutionis & alligationis potestati non sit subiectum. Quod de rebus soluendis & ligandis ita uniuersales uoculæ testantur, Math. 16. Quicquid ligaueris, quicquid solueris. Et Math. 18. Quæcunq; solueritis, quæcunq; ligaueritis, sicut supra Ioan. 20. & Marci 16. uniuersales particulæ de personis soluendis & ligandis indicantur.

### XVI.

Ac clauium quidem absolutionis subiacent omnia peccata contra legem Dei commissa, quorum nullum est, pro quo Christus integram obedientiam legis præstando non satis fecerit. Quæ satisfactio Christi sufficientissima, & propter hanc satisfactionem absolutio, siue gratuita peccatorum remissio annunciatur omnibus in uangelio, Quare omnia legalia peccata & delicta sunt absolutione uangelij solubilia, nec ullum est peccatum: legale irremissibile. Incredulitatis uero cum Euangelio proprie pugnantis peccatum, aut ignorantia & infirmitate, aut obstinatione & malitia perpetratur, quorum illud peccatum in filium hominis & remissibile, hoc peccatum in Spiritum S. & irremissibile esse Christus affirmat. Non quod huius peccati atrocitas superet & uincat pretium satisfactionis Christi, cuius ualor in immensum excedit omne peccatum, sed quia hoc peccato immediate & contumaciter Christus ipse cum satisfactionis suæ merito repellitur, & non admittitur, propter quod solum cuiuslibet peccati remissio contingit: ideo non remitti recte dicitur. Nam ligationi legis medetur solutio Euangelij, at ligationi Euangelij quod medeatur, nullum est aliud Euangelium. Increduli igitur Euangelio, perpetuis peccati & condemnationis uinculis obstricti tenentur.

### XVII.

Non solum autem peccata, sed peccatorum etiam poenæ simul omnes, tam temporales quæ æternæ, potestati clauium subiacent. Nam quod indefinite Math. 16. & 18. Christus dixerat, hoc determinat & restringit, ad culpam quidem Ioan. 20. Quorum remisistis aut retinueritis peccata, remissa aut retenta sunt. Ad poenam uero Marci 16. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: Qui uero non crediderit, condemnabitur: hoc enim inter sese illi loci differre uidentur, quod in Ioan. culpæ, in Marco poenæ remissio & retentio nominatim exprimitur, utrobique tamen altera posita, altera non excluditur. In Math. uero solutio & ligatio ad culpam & ad poenam simul referendam esse, ex distincta Ioannis & Marci interpretatione colligitur.

### XVIII.

Cum autem pronunciamus cum culpa simul etiam remitti poenas, temporalem & æternam, non sentimus æternam commutari in temporalem, uel præsentis uitæ, uel fictitij purgatorij post hanc uitam: sed ab ea nos simpliciter sine ulla commutatione poenarum absolui, In temporali uero poena,



na, cum & punientis iustitiæ uindicta, & pœnam sustinentis afflictio consideretur, ac remissio culpæ non sit aliud, quàm cessatio uindictæ, non potest Deus remisso peccato retinere animum uindicandi & pœnam sumendi de peccatore. Vindicta autem cessante, afflictio aut tota simul tollitur, aut ne sit pœnaria immutatur. Quare afflictiones à Deo impostæ ijs, qui sunt adepti remissionem peccatorum, & cum Deo reconciliati, non sunt compensationes, quibus satisfiat diuinæ iustitiæ, quam peccando uiolaueramus, sed alias habent causas, de quibus alias dicitur.

### XIX

Hunc effectum potestatis clauium, cum cœli & terræ terminis, ubi solummodo locum habeat, Christus saluator noster circumscripsit, infernum & purgatorium, si maximè non esset fabulosum, exclusit, ac clauium potestatem nihil ad defunctos pertinere docuit. In cœli autem & terræ terminis clauium usui designandis, non ipsas in cœlo primum esse quærendas, eò quòd nemo uel ad quærendum illic clauis, sine clauibus cœlum ingredi possit, sed in terris, ad quas Christus filius Dei, secum de cœlo detulit, & apud ipsam Ecclesiam deposuit, solum inueniri posse innuit, dum ordine terram cœlo præponit, dicens. Quicquid ligaueritis uel solueritis in terra, erit ligatum uel solutum in cœlo.

### XX.

Iam ne quis in cœlo Deum alias & ualidiores ad referendum aut occultandum clauis retinuisse putaret, quàm Apostolis Christus tradiderit, neue dubitaret solutionem & ligationem Apostolicis clauibus factam in terra, Deum in cœlo ratam esse habiturum, propterea non modo nō discernit solutionem & alligationem in cœlo, ab alligatione & solutione Apostolorum in terra: est enim una & eadem numero Dei & Apostolorum ligandi & soluendi potestas, unum & idem numero opus, quod uno & eodem tempore, ob unam & eandem causam in cœlo & terra peragitur. Sed maioris etiam certitudinis clauium ostendendæ causa, non nostrâ à Dei absolute & alligatione, sed Dei in cœlis, ab absolute & alligatione nostra in terris quodammodo suspendit. Non enim ait, quicquid ligauerit in cœlo Deus, ligatum erit in terra, & quicquid soluerit in cœlo, solutum erit in terra, sed e conuerso, Quicquid, inquit, ligaueritis super terram, erit ligatum in cœlo, et quicquid solueritis super terram, erit solutum in cœlo.

### XXI.

Quam quidem ob rem cum alligatio et absolutio Dei in cœlo sit certissima, quæ una & eadem est cū absolute & alligatione Apostolorum in terra, uanum esse commentum de clauis errante satis intelligitur: certæ enim sunt ambæ clauis, nec ligando uel soluendo aberrant, certum enim & indubitatum est Euangelium Christi, cui clauis sunt alligatæ atque inclusæ, siue.



sive enim quis credat sive non credat, se propter solum Christum per fidem absolui, uel ligari, quia in Christum non credat, tamencertò absoluitur & ligatur, idq; res aliquando declarabit, cui clauium certitudini nihil accedit aut decedit fide & incredulitate nostra. Vt autem fructuosa & utilis ad salutem nobis reddatur clauium potestas, fides à nobis exigitur, qua credamus nos uere ligari & absolui. Nam ut in nobis clauium potestas ad salutem sit efficax, nō solum clauem necesse est esse certas, recteq; ab alijs administrari, sed præterea, ut per fidem recte illis utamur & suscipiamus, requiritur.

### CONCLUSIO.

Hanc de clauibus regni cœlorum sententiam & doctrinam, cu'm ex collatione locorum non accuratissima, à mente Christi saluatoris nostri non alienam, sed consentaneam esse existimemus: Deum per Christum saluatorem nostrum oramus, ut ueritatem huius doctrinæ in nobis contra omnes corruptelas tueri, ac synceram conseruare, nobisq; largiri dignetur, ut uera in Christum fiducia ex Euangelio ipsius concepta, in regnum cœlorum ingredi, & perpetua beatitudine cum omnibus sanctis perfrui possimus, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum,  
cui laus, honor, & gloria in  
secula, Amen.